

EINE EPISODE AUS DER GESCHICHTE DER BAYRISCHEN ZIRKARIE -:- -:-

SUMMARIUM

Inter annos 1642-45 quidam ex congregatione antiqui rigoris Lotharingiae, insidiantes ac aemulantes ut summum munus ordinis, tunc temporis vacans, adipiscantur, monasteria communis observantiae apud S. Sedem diffamaverunt, praesertim canonicas superioris Germaniae, de quibus dixerunt eas officium canonicum et curam animarum negligere. Bello in Germania finito, abbas generalis A. le Scellier abbates germanicos adiit, ut sibi ab episcopis suis testimonia dari faciant, « ad retundenda ora calumniantium ». Propterea anno 1650 abbates circariae bavaricae adierunt episcopum Ratisbonensem, ut testimonium pro monasterio Windbergensi daret. Nomine eorum vicarius circariae episcopo omnes eventus in ordine depinxit, adiungens ad confirmationem supplicationi suae copias epistolarum abbatis generalis, quae sunt ad illustrandam historiam ordinis haud parvi momenti. (Ex archivio dioeceseo Ratisbonensi).

In der Zeit zwischen dem Tode Richelieus ¹⁾ und der Wahl des Generalabts Augustin le Scellier ²⁾ wurde von verschiedener Seite heftig intrigiert, um die Generalswürde zu erlangen ³⁾. Besonders die Kongregation von Lothringen spielte dabei eine grosse Rolle. Sie suchte die Klöster der kommunen Observanz beim hl. Stuhl in ein ungünstiges Licht zu setzen, und behauptete unter anderem, dass die süddeutschen Klöster ihre Seelsorgspflichten und den Chordienst vernachlässigten. Sobald nun der 30 jährige Krieg beendet war und in Deutschland wieder normale Verhältnisse herrschten, wandte sich 1650 der Generalabt an den Generalvikar der bayr. Zirkarie, den Abt Karl von Schäftlarn ⁴⁾, setzte ihn von den Verleumdungen in Kenntnis und forderte ihn dringend auf, die zuständigen bischöflichen Ordinariate um Zeugnisse für Disziplin und seelsorgliches Wirken der Ordensstifte anzugehen. Unter anderen wandte sich der Abt v. Schäftlarn daraufhin auch an das Ordinariat Regensburg mit der Bitte um ein Zeugnis für Windberg ⁵⁾. Der Abt schilderte in seinem Schreiben eingehend den Anlass desselben, und legte zur Bekräftigung die Kopien von einigen

1) Kommendatarabt von Prémontré 1635-42.

2) General 1645-66.

3) S. Hugo, *Annales*, I, c. 43-54.

4) Karl Hieber, Profess von Ursberg, 1640 Abt von Sch., † 1653. (L. Abstreiter, *Gesch. v. Schäftlarn*, 1916, S. 196).

5) Speinshart, das in derselben Diözese liegt, war damals de facto noch nicht wiederhergestellt.

Briefen des Generalabtes bei. Diese sind für die Beleuchtung der Ordensgeschichte von grossem Interesse. Rührend erscheint die väterliche Fürsorge des Generalabtes für die süddeutschen Stifte; auf seine Auffassungen von Ordensstrenge und Tradition werfen seine Bemerkungen zu den Beschlüssen des bayer. Provinzialkapitels von 1650 ein interessantes Licht. Bezüglich der von diesem Provinzialkapitel beschlossenen « *Distributio temporis pro pastoribus* » wie auch für manche andere Punkte lohnt sich ein Vergleich mit den Akten des Provinzialkapitels von 1629 ⁶⁾.

Alle diese Akten befinden sich im Diözesanarchiv Regensburg unter « Akten Kloster Windberg ».

Windberg.

Norbert BACKMUND, O. Praem.

DIE BAYRISCHEN AEBTE ERSUCHEN DAS REGENSBURGER
ORDINARIAT UM EIN ZEUGNIS FUER DISZIPLIN UND SEEL-
SORGSTAETIGKEIT DES KLOSTERS WINDBERG UND
LEGEN ZUR ERKLAERUNG ABSCHRIFTEN VON MEHREREN
BRIEFEN DES ORDENSGENERALS BEI. — SCHEFTLARN,
DEN 9. XII. 1650 ⁷⁾.

Rme et Illme Princeps, gratiosissime Dne !

Innotuit orbi, dilacerataque patria nostra Germanica damno suo et si alicubi in religione maximo experta, non tantum devastata rebus sed religiosis personis quoque destituta irremisse adhuc deflet Deo consecratas domus et monasteria. Inter haec discrimina sacer Praemonstratensis Ordo, a S. Norberto ante quingentos annos institutus, non mediocriter ac leviter frequentius arctatus est; Deo tamen suffulciente, gloriosior semper resumptis de Norbertino spiritu novis viribus triumphavit. Ab anno Xi 1618, indefesse Rmus Dnus Petrus Gossetius p.m. Praemonstratensis archicoenobij abbas ⁸⁾, caput Ord. Praem. et reformator generalis usque post triagesimum, quem ferme ultimum in pace Germani numeravimus, cum

6) *Anal. Praem.*, IX (1933), S. 305-20.

7) Originalbrief mit dem gut erhaltenen Siegel der Zirkarie (beschrieben *Anal. Praem.*, V (1929), S. 94. Dort muss es heissen: bei Schäftlarn *Boot* statt *Bott*; und bei Speinshart: *Muttergottesbüste* statt *Bürte*).

8) Pierre Gosset, Generalabt 1613-35.

S. Ordinis patribus Capitulorum Generalium autoritate, pro stabilienda introducta reformatione desudavit et feliciter finivit. Vacavit ad obitum Generalis praefati aliquot annis inter medios bellorum turbines, alienis invadentibus Generalatum sedes, et simul nos destitui credebamur, donec Dei et Apostolicae sedis commiseratione de novo nobis capite et reformatore Abbate Generali provisum fuit.

En Rme et Illme Princeps, cum hic Rms. Dns. Augustinus le Schellier, electus Generalis noster, ad vegetanda membra sui ordinis, vires suas exerit, nihil non motum relinquit, quo zelum Norbertinum in suos, si furente Marte labefactatus fuisset, reimplantet. Ex adverso alii contra generalium capitulorum, et ipsius generalis capitis auctoritatem, subreptitie ab Urbano PP., sede generalatus vacante, obliquas et alienas ab instituto suo constitutiones et observantias obtinentes, in Juris, ordinis, et ipsius generalis manifestas laesiones, plurimum obsistunt, ipsumque ordinem ac generalem nostrum, debilitatis suae causae conscii, et iustis armis destituti, foede calumniis suis etiam Romae dilacerare aggrediuntur. Quia igitur, Rme ac Illme Princeps, monasterium Windbergense, in tua dioecesi situm, bonum nomen ob disciplinae regularis studium, et solertiam, qua in eadem tua dioecesi in cura animarum administranda, in sibi subditos semper incumbit, nomen bonum post tot belli clades, tam in spiritualibus, quam temporalibus perpeccas, adhuc retinet : confidenter ad Illmam tuam Celsitudinem nos comprovinciales abbates Bavaricae circariae accedendum aestimavimus humiliter rogantes, quatenus huic veritati validum testimonium suum ad Sanctum Sedem, quo adversariorum et calumniantium ordinem nostrum sacrum Praemonstratenser, ora retudi possint, elargiri dignetur.

Verum, ut facilius et certius inprimis de Rmi nostri Generalis constet conamine, dein nostro desiderio et voto, pro reformatione stabilienda, regulari disciplina secundum vocationem nostram conservanda, haec paucula nomine suo signata transsumi per juratum notarium fecimus. Quo clarius ipsamet Rma et Illma Celsitudo tua inspiciat, studium religionis nostrae, cui lubentius et gratius pro nobis non tantum contestetur apud S. Ecclesiae Sedem, sed et ipse Sacer Ordo noster Praemonstratensis perpetim Reverendissimae et Illustrissimae Celsitudini tuae non exiguam rigoris et conservatae disciplinae regularis nostrae triumphum partem maximam transcribat.

Nos demum in precibus nostris factae Rmae et Illmae Celsitu-

dinis tuae gratiae huius amplissimae nunquam non memores erimus,
permanentes

Rmae et Illmae Celsitudinis tuae
Humillimi et obsequiosissimi
Capellani

Schefftlariae, 9. Dec. 1650

F. Carolus Abb. Schefftlariensis
Vic. Generalis et Visit. Ordinis
Praem. per Bavariam etc.
cum reliquis Praelatis eiusdem
Circariae.

* * *

I. DER GENERALABT AUGUSTIN LE SCHELLER ERNENNT
DEN ABT KARL VON SCHEFTLARN ZUM GENERALVIKAR
DER BAYR. ZIRKARIE. 10. März. 1650

Augustinus Le Scellier, christianissimi Francorum Regis Consiliarius et Eleemosinarius, Dei et Stae. Sedis Aplicae gratia Praemonstrati Abbas, totiusque Ordinis Canonici Praemonstratensis Caput et Reformator Generalis, Rdo. Adm. Patri, Domino Carolo, Monasterij Schefftlariensis, nostri dicti ordinis Abbati, Confratri nostro charissimo, salutem in Dno perpetuam. Ad regimen totius Ordinis Praemonstratensis assumpti, statim curis angi coepimus assiduus, et crebri meditatione pulsari, ut opem et operam, quantum nobis e caelo permittitur, efficaciter impendamus, ita ut cura omnium et singularum illius Circariarum, per nostrae providentiae ministerium, viris committatur idoneis, qui vice nostra fungantur, sciant, velint, et valeant eas salubriter regere, et ad honorem Dei, eiusdemque Ordinis splendorem utiliter gubernare. Hinc est, quod Nos de tuis pietate, doctrina, et ardenti disciplinae regularis zelo, plurimum in Dno confidentes, Te nostrum in Circaria Bavariae Vicarium Generalem, qua pollemus autoritate fecimus et ordinavimus, prout per praesentes facimus et ordinamus, dantes et concedentes Tibi plenam, liberam et absolutam potestatem, ac mandatum speciale, omnes et singulas illius Circariae personas, et loca nostro ordini subiecta, toties quoties opus fuerit, tam in capite quam in membris, divisim aut coniunctim, secundum formam regulae, statutorum, privilegiorumque nostrorum, ac conciliorum oecumenicorum, maxime Tridentini, visitandi, et reformandi, ac in earundem personarum

vitam, mores, ritus, et consuetudines diligenter inquirendi, delinquentes, discolos, et suae professionis praevaricatores repertos, pro ratione culparum puniendi, et regulari districtione coercendi, superiores et officiales quoslibet negligentes, inutiles et scandalosos, a suis respective dignitatibus et officiis movendi, et absolvendi, aliosque magis idoneos in eorum locum providendi, aut provideri, via et forma congruis faciendi, provisosque, quorum confirmatio ad nos pertinet, confirmandi; contradictores quoslibet, et rebelles ecclesiasticis censuris et sententiis et paenis canonicis, aliisque iuris et facti opportunis mediis compellendi, in his etiam sicut in aliis, adhibito, quotiescumque causa postulaverit, brachij saecularis auxilio. Rursumque ab excommunicationis, et suspensionis vinculo, nec non a casibus, Nobis reservatis, in utroque foro absolvendi, et super irregularitatibus, inhabilitationibus, pactis etiam iuramento vallatis, interdictis, paenis et sententiis, a jure vel homine latis, dispensandi, expensas tuis visitationibus et praesertim executioni necessarias, sicut et ordinarias contributiones, Nobis et Ordini debitas, requirendi, levandi, et ad illarum solutionem, eos quorum intererit cogendi, ac de receptis quittance dandi. Monasteria quoque, vel quaevis alia loca nostrum ordinem spectantia, vel ab eodem dependentia, per quascunque personas, ordini nostro non subiectas, occupata et detenta, vel in suis aut nostri Ordinis iuribus, vel privilegiis turbata, vexata aut quomodocumque lacessita, laesa et oppressa, vel nostram, sive Ordinis nostri jurisdictionem agnoscere, subireve detrectantia, vel ab eadem quocumque sub praetextu declinare tentantia, omni meliori modo, via et juris forma repetendi, propugnandi et vindicandi ordini nostro cum plena libertate reasserendi et subjiciendi. Denique in praedicta Circaria personam nostram repraesentandi, ac generaliter ea omnia ordinandi, dicendi et exequendi, quae Nos ipsi de nostrae plenitudine potestatis ordinare, dicere et exequi possemus, si praesentes ibidem personaliter adessemus, etiam si maiore expressis forent, et talia, quae mandatum exigent magis speciale, praesentibus ad nostram usque revocationem dumtaxat duraturis. Quocirca omnibus praedictae Circariae Nobis subditis personis, in virtute Stae. Obedientiae et sub Excommunicationis poena, quam in omnes et singulos inobedientes, ex nunc prout ex tunc ferimus, in his scriptis districte praecipiendo, Mandamus, ut Tibi tamquam nobis prompte obediant. Saeculares autem Magistratus, quibus Ecclesiasticae commissa est cura politiae, suppliciter rogamus, quod Tibi pro religionis et Divini honoris incremento ad praesentium executionem procedendi

manus porrigant adiutorias, ut sic et propriis augeantur meritis, et abundantius participant tanto bono et orationibus, quae quotidie in Ordine nostro pro ipsius benefactoribus Divinae Majestati offeruntur. In quorum fidem praesentes jussimus expediri, et manu nostra propria subscriptas sigilli nostri fecimus appensione muniri, et a nostro secretario subsignari. Datum Parisiis in Collegio nostro Praemonstratensi anno MDCL, mensis vero martii die decima.

Fr. Augustinus Le Scellier, Abbas Praemonstratensis et Generalis
De mandato Rmi. Dni. mei Abbatis et Generalis
Fr. Petrus Carette
Secretarius

* * *

II. DER GENERALABT A. LE SCELLIER BESTÄTIGT DIE BESCHLUSSE DES BAYRISCHEN PROVINZIALKAPITELS IN SCHEFTLARN 1650

Universis praesentes litteras inspecturis Augustinus Le Scellier,
.... salutem.

Visis per nos, diligenterque consideratis omnibus decretis Capituli Provincialis Circariae Bavaricae in Monasterio Schefftlariensi convocati die prima et sequentibus mensis Junij, novissimo praeteriti, quorum tenor in praeiacentibus huius codicis seu chartaceis folijs in unaquaque ipsorum parte, recta et versa per secretarium circumquaque delineatis et infra signatis, ne varientur, lectis etiam litteris Rmi. Adm. Dni. Abbatis Schefftlariensis, nostri in praedicta Circaria Vicarij, et in dicto Capitulo praesidis, ad nos per expressum nuntium ex decreto eiusdem capitulo transmissis, quibus eorundem decretorum confirmatio humiliter a nobis vel in toto, vel in parte postulatur. Nos postulationi per ipsum factae, quod iustum est, annuere volentes, decreta praedicta omnia approbamus, exceptis secundo, quo defunctorum officium cum tribus duntaxat lectionibus in quadragesima exolvere posse reputatur, cum constet ex communi et avita totius ordinis praxi, atque ex ordinariorum veteris et novi ritui, cum novem lectionibus esse celebrandum : Item primo et tertio, quibus circa cantum, circa novitiatum, et studia communia, circa aetatem novitiorum ad professionem admittendorum, et circa temporis, quo in probatione continendi sunt, quantitatem, dispensatio tangitur ; quam ut statuta nostra suum retineant vigorem, a Vicario

duntaxat nostro quoties et cum quibus fuerit, et quidem in scriptis concedendum esse censemus, eidem curam omnem de monasterio Wilthinensi ad plenariam Ordinis iurisdictionem revocando committentibus, reservata nihilominus nobis, successoribus nostris et capitulo generali circa praedicta omnia, quoties videbitur, ex toto vel ex parte mutando vel annullando disponendi facultate. Mandamus in virtute Sae. Obedientiae nostro per Circariam Bavaricam Vicario, ut haec decreta, sicut praefertur confirmata, statim publicet, et ab omnibus dictae Circariae religiosis, praelatis et subditis acceptari et observari faciat et procuret sub poena contra inoboedientes per Jura et statuta nostra decretis. In quorum fidem fecimus appositione sigilli muniri, et a secretario nostro subsignari. Datum in nostro Praemonstratensi Archicoenobio mensis Julii die vigesima anno Dn. 1650.

L.S.

Fr. Augustinus Le Scellier
Abb. Praemonstrat. et Generalis
De mandati Rmi. Dni. mei Abbatis Generalis
F. Bonaventura de Teux, Secretarius

* * *

III. DISTRIBUTIO TEMPORIS PASTORIBUS... PRAESCRIP- TA, EX ACTIBUS CAPITULI PROVINCIALIS CIRCARIAE BAVARICAE EXTRACTA. SCHEFFTLARIAE ANNO 1650.

(Antecedit longior exhortatio ascetica).

1.

Mane hora 4a vel circiter surgant, et matutinas devote recitent ; his absolutis meditationi ad recolligendum spiritum per mediae horae spatium vacent.

2.

Finita meditatione primam et capitulum dicant, deinde de re domestica et circa familiam Pastor (huius namque cura est et officium, quod non inturbare praesumet cooperator) disponat, meminerit vero Pastor quilibet alendam esse familiam religiose, frugaliter et modeste, et caveat ne moribus domesticorum, vivendique eorum ratione alicui hominum scandalo fiat.

3.

Re domestica bene disposita, ad studia se component, et non tam

legant, quam quod pro gravi animarum sollicitudine necessarium est, addiscant, reminiscentes ambos, si caecus caeco ducatum praestet, in foveam cadere.

4.

Prope horam nonam, Tertiam, Sextam, et Nonam legant, et ad sacrum faciendum (quod si non quotidie, saltem aliquoties in septimana dicant) vel audiendum se praeparent. Festivis in ecclesia diebus pro loci consuetudine, si anticipandus divinus cultus foret, etiam recitationem horarum canonicarum anticipare convenienter fieri potest.

5.

Circa undecimam horam prandium sumatur, frugale et religiosum, neque ultra horam extendatur.

6.

Ab invitatione hospitum, nisi certa ratio suaserit, abstineant, absque praescitu socius nunquam attentare praesumat.

7.

A prandio per spatium unius horae recreativo cuidam exercitio honeste ac religiose se applicent, aut agant in eundem finem, quod rei domesticae, corpori et animae maxime videbitur expedire.

8.

Evoluta recreationis hora pro futura concione se studiis disponant, Authores probatos legant, et intenti zelo animarum captui et utilitati auditorum satisfacere satagent.

9.

Hora tertia pomeridiana vespas et completorium recitent, et ad quartam usque respirent; vel potius utiliter se occupent, otium omnium malorum Seminarium, ut semper vitantes.

10.

Ab hora quarta ad coenam usque, quae extra esuriales dies hora 5^a sumatur, diebus jejunii usque ad sextam, qua hora collatio sumenda est, in studia prout ante meridiem constitutum, utiliter sibi et ovibus suis incumbant.

11.

Post coenam iterum honestae occupationi indulgebunt usque ad septimam.

12.

A 7a hora vel lectioni alicui sacrae aliive praeparationi in sequentem diem, sicuti praelectioni meditationis futurae vacabunt.

13.

Hora 8a vel circiter peracto conscientiae examine, et pro felici

morte devote Litaniiis Lauretanis de more nostro recitatis in Dei nomine nocturnae quieti se dabunt.

14.

Ea praeterea, quae summe necessaria Pastoribus nostris ad religiose vivendum et bene regendas oves suas sunt, et statuta sancti Ordinis nostri perspicue docent, et mandant dist. 2 c. 23. toto de Pastoribus, huic temporis divisioni coniuncta vult, ac quoad omnia ab iis quorum interest, inviolabiliter observari jubet.

Caeterum, pro diversitate locorum, personarum, atque temporis circumstantia Dni Praelati memores rationis in novissimo die super grege sibi commisso reddendae omni studio invigilent, ut salutaria Pastoribus constituent, constituta per diligentem inspectionem (quae ad praescriptum S. Ordinis nostri, quando Praelato videbitur, vel per se, vel per alios idoneos visitando ipsos Pastores, illorumque domos, et familiae statum utilissima fiet) conservetur.

* * *

IV. SCHREIBEN DES ORDENSGENERALS AN DIE BAYRISCHEN AEBTE 23. JULI 1650

Dum in hac domo ab hostili gentilitioque milite circumvallata miserabiliter affligimur, solatio mihi sunt litterae vestrae, quibus intelligo vos in unum congregatos de mediis ad disciplinam regularem in Circaria vestra restaurandam opportunis convenisse. Si quidem fructum aliquem, eumque notabilem a vestro illo sancto concilio spero divina favente gratia proventurum, quoniam non vos ipsos, sed unum ordinis nostri bonum ac decorem, uti quidem oportuit, intendistis. Decretum vestrum de officio mortuorum in quadagesima persolvendo, licet aperte non repugnet quibusdam breviorum, ad quae nos statuta remittunt, rubricis, uni tamen, quae habetur, folio 135 non congruit, et praeterea cum universali Ordinis praxi, et Ordinariorum novi et veteris tenore non consentit, unde communi eorum, quos ordinationum vestrarum unanimi mecum adhibueram voto, admissum non est. Non inveni vestrum specialem a communibus studiis et novitiatu constituendis exceptionem, uti nec etiam, quo jure vobis licere possit novitios ante completum decimum octavum aetatis annum, et ante biennium in novitiatu exhaustum ad professionem admittere, et ideo, ne statuta temere violentur, duxi haec omnia ad vicarij vestri conscientiam remittendum, qui statutorum decreta cum praesentibus vestris necessitatibus tem-

perabit. Quocirca quae ordinastis, ad vos remeant, a nobis libenter confirmata, quae si, quod spero, pariter observabuntur, summo opere recreabor. Negotium Wilthinense ex toto curandum dedi vicario vestro, facturus nihilominus pro mea virili parte, quidquid ab optimo affectu praestari potest, tam in hac, quam in aliis occasionibus, quae se pro maiori Circariae vestrae profectu unquam dabunt. Obsecro autem, vos, fratres dilectissimi, per viscera Domini nri. Jesu Xi., ut qui convenientes in unum caeteris Ordinis nostri Circariis fere omnibus optimo praeivistis exemplo, bono iam inde et suavi religiosorum operum odore, quod bene coeptum est absolvatis, ut in omnibus candidi gregis norma efficiamini, satagentes super omnia, ut ii, qui foris sunt, vere fraternam in vobis charitatem regnare cognoscant, ex hoc, quod ii, quos hec bella fecerunt ex vobis indigentiores, per opulentiorum beneficentiam sublevantur, sic enim eritis vere Norbertini, et ego multo magis.

Praemonstrati 23. Julii Ao. 1650.

RRdarum. Adm. Dtionum. Vrarum.

Servus humillimus, Confrater addictissimus

Fr. Augustinus le Scellier Abbas Praemonstr. et Gen.

* * *

V. GLEICHZEITIGER BRIEF DES GENERALABTS AN DEN
ABT V. SCHEFTLARN, DEN GENERALVIKAR DER
BAYRISCHEN ZIRKARIE. 1650

Rde. Adm. Dne. Confrater Charissime.

Capitulum vestrum Provinciale, insignem diligentiae vestrae tesseram remitto, cum adiuncta decretorum eiusdem a me quatenus fieri potuit, confirmatione. Defunctorum officium cum novem lectionibus in quadragesima celebrandum edocent Ordinaria vetus et novum; illud 29, hoc 50. Cap., ipsa quoque quae citantur Breviaria si ad rubricam fol. 135 impressam intendimus, aliquantulum hoc ipsum indicant. Nos sane committi debemus, ut illibatum conservetur officium, cuius fructum brevi forsitan degustaturi vivimus. Caeterum recentiora breviaria quibus jam imminet praelum, clarius defunctorum causae patrocinantur. Circa novitiatum et studia communia, aetatem profitendorum, et probationis in novitiatu tempus, secundum statuta, quatenus fieri potest, ordinandum est. Si necessitati

aliquid tribuendum, poterit Ra. Vra. beneficium dispensationis requirentibus impertire, donec a Nobis vel a Capitulo Generali fuerit aliter constitutum. Causam Wilthinensem Procuratori nostro Romano commendavi dudum, et ab eo audio iam tractari coeptam. Vos necessarias ad illam instructiones Romam mittite, dum Ego, quantum mea parva paupertas feret, illam promoveri curabo. Scribo iam ad Belgas nostros, ut a Leopoldo commendatitias ad Archiducem austriacum impetrent. Copiam vestrarum litterarum, et impedimenti per Brixinensem Wilthinensibus iniecti Romam mitto protectori nostro demonstranda, ad quem Ra. Vra. nomine totius Circariae litteras oppressionem referentes utiliter daret. Interim censeo Rae. Vrae. ad Monasterium Wilthinense visitandum accedat, in vim nostrae commissionis nomine, nisi forte abbate loci prae-monito, ob imminens a Religiosis Brixinensi addictioribus periculum, et si contingat per vim maiorem obstaculum dari, contra agendum erit protestationibus, aliisque juris mediis, ac de omnibus conficiendus processus verbalis authenticus, qui Romam statim missus de vi illata fidem faciat. Sparshartensis (sic) Monasterii restaurationem commendo Rae. Vrae. quantum possum. Jam enim mihi persuadeo commissionem quae illud spectat in nobis alias emanatam uni Vae. Rae. esse relictam, tum quod intra Circariae Vrae. limites concludatur, tum quod vestrae, quid Principem existimationi haec cura potissimum debeatur.

Cryphense ⁹⁾ quod attinet, non existimo specialem aliquam commissionem esse necessariam ab ea diversam, quam pro tota Circaria a nobis habet, nam huius virtute in omnia monasteria Circariae Bavariae nostram jurisdictionem obtinet, quae vere est ordinaria, atque etiam in eas ecclesias, quae patribus abbatibus carent, Jure paternitatis ad nos devoluto, paterna. Quare agat sine haesitatione in vim, et id quoque Gryphensibus quoad visitationem explicet, quod mox de Wilthinensibus suggerebam. Curet vero diligentissime Ra. Vra., ut suae provinciae abbates amicali fraternae caritatis vinculo inter se et cum aliis colligantur, caritatis inquam non mortuae et sterilis, sed quae communicatis invicem obsequiis vivam se et fertilem probet. Dum enim haec temporum infelicitas Monasteriorum alia aliis miseriora reddidit, caritatis est, infeliciora sub-

9) Das Kloster Griffen in Kärnten war damals im Zustand ziemlichen Verfalls, wegen seiner weiten Entfernung von den übrigen Klöstern der Zirkarie war seine Verbindung mit diesen nur schwach. Seit der Aufhebung von Vessra (1535) war es ohne Vaterabt (Hugo, I, 787).

levare ne forte defectu subsidii in peius ruant, et non parum divino honori et ordinis decori subtrahatur.

Tangit me acriter Urspergensium filiorum meorum inopia ¹⁰⁾, ideo maxime, quod in praesenti vestra miseria succurrere nullatenus possum. Precor Ram. Vram. ut D. Osterhoviensem (cui hoc fine etiam scribo) ad opem illis, sed statim, et libenter, et etiam liberaliter ferendam inclinet, qui si forte non poterit, ego quacunque demum ratione remedium aliunde conquiram. Utar in destinandis ad vos litteris via mihi suggesta. Quae ad nos dabuntur recta Parisios Priori Collegii Praemonstratensis inscriptae mittentur. Illae de quarum resignatione dubitat Ra. Vra. pervenerunt omnes, sed ob interceptum hinc Parisios iter, non eas nisi sero admodum hic vidi, nec antehac respondere potui.

Praemonstrati, 23. Julii Ao. 1650.

Rdae. Adm. Dni. Vrae.

Servus humillimus, confrater addictissimus

Fr. Augustinus Le Scellier,

Abbas Praemonstratensis et Generalis.

* * *

ABT MICHAEL ¹¹⁾ VON WINDBERG ERSUCHT DEN REGENSBURGER GENERALVIKAR UM EIN ZEUGNIS FUER DIE SEELSORGLICHE TAETIGKEIT SEINER RELIGIOESEN, UND SETZT DIE MOTIVE DIESER BITTE AUSEINANDER.

18. 12. 1650.

Reverendissime Illustris Dne Vicarie, Dne colendissime,

Qualiter Sacer noster Ordo Praemonstratensis a multo iam belorum tempore, tam in capite, quam in membris inique vexetur, ac turbetur, Rma. Sua Dominatio ex adiunctis vidimatis literarum copijs videre habet, quas Dominationi suae a Rmo. nostrae Bavaricae Circariae Vicario et Visitatore, Dno. Abbate Schefflariensi per proprium transmittere jubeor, et profecto deplorandum totius ordinis hoc malum oriebatur in morte Rmi. Dni. Generalis Praemonstr.,

10) Ursberg, das übrigens zur schwäbischen Zirkarie gehörte, war im 30 jähr. Krieg völlig zerstört worden. Abt und Konvent mussten aus Not in anderen Klöstern Zuflucht suchen (Hugo, II, 1147).

11) Michael Fuchs 1634-81.

cui in Generalatu Eminentissimus Cardinalis de Richelu (sic) a Rege Galliarum electus, et ab Urbano P.P. confirmatus, omnium Praemonstratensium gemitu successit. Eodem tempore Lotaringae Ord. Praemonstr. qui antiqui (ut vulgo appellantur) rigoris plurimum in Rom. Curia laborabant, quatenus Generalatus officium inter litigantes alios sibi vindicarent, contra omne Ordinis sacrum jus, et institutum a quingentis et ultro annis hucusque laudabiliter et inviolabiliter observatum, sed frustra conabantur. Cardinalis siquidem praedictus nec precibus nec vi ullo modo abduci potuit, assistente regia potentia, et sic moerore quasi consumpti filii miseri Praemonstr. sine patre, membra absque capite undecim integris annis languebant, donec tandem bonus Deus Ao. 1644 per obitum Cardinalis Generalis denuo moestis Praemonstratensibus de electo et confirmato abbate generali providit, quem nunc quoque rigoris praedicti asseclae Lotaringae (qui aegre ferunt suos conatus in nihilum ivisse) in Romana curia, coram Summo Tribunali iniuriis non verentur, inter alia dolose ac calumniose contra sacrum Ordinem recensentes, quod (praesertim in Germaniae superioris partibus) officio et muneri Canonico secundum regulam et statuta non satisfaciant, curam animarum non exerceant, et eiusmodi plura. Oportunum igitur remedium huic pesti subveniendum Rms. Dns. Generalis Abbas Praemonstr. esse censuit, ad obstruenda falsitatum ora, et refrenandam Lotaringarum praedictorum malitiam Illmos. ac Rmos. locorum antistites libellis supplicibus mox interpellare, quatenus abbatibus et eorum conventibus testimonium tam vitae quam functionum Parochialium, et curae animarum dare clementissime dignarentur. Eapropter nomine saepedicti Dni. Generalis nostri Rmam. Illrem. Dominationem Vram. (utpote solus mei ordinis in hac dioecesi Abbas) enixe rogo, in bonum totius ordinis sacri, et autoritate plena, qua pollet testimonium in scripto dare non dedignetur. Scit enim Rma. Vra. Dominatio, quae per meos conventuales et Parochiarum vicarios tam intus, quam foris hisce miseris bello et peste vexatis temporibus ad Dei laudem, et animarum salutem (multis aliis deficientibus) constans peregerim, quae nec in futurum secundum institutum meum, et vocationem ac animarum salutem facere detrecto; me interea Rmae. Vrae. Dominationi ad vota optata commendas.

Ex abbazia Windbergensi 1650 die 18. Dec.

Rmae Illris. Dom. Vrae. addictissimus in Xo
Michael Abbas.

Es folgen zwei deutsche Briefe des Abtes Michael, dd. 15. und 28. Januar 1651, in denen er das Ordinariat dringend ersucht, das erbetene Testimonium doch endlich zu schicken, da die Ordensleitung unablässig dränge, und die übrigen Klöster der bayr. Zirkarie diese Testimonia von ihren zuständigen Ordinarien bereits erhalten hätten.

* * *

ZEUGNIS DES REGENSBURGER ORDINARIATES FÜR DAS KLOSTER WINDBERG. (ENTWURF)

Nos Franciscus Gulielmus, salutem in Deo sempiternam.

Non ita pridem per literas Rdu. nobis in Xo dilectus Dnus Michael abbas monasterii Windbergensis Ord. Praem., exposuit, quod nonnulli malevoli non vereantur etiam in summis locis suum ordinem iniuriis lacessere, et inter alia dolose ac calumniose contra eundem recensere, quod praesertim in Germaniae superioris partibus ordinis abbates et religiosi officia et muneri canonico secundum regulam et statuta non satisfaciant, nec curam animarum exerceant, et in pluribus aliis deficient. Supplicavit exinde nobis predictus Dnus. (solus et unus ordinis praem. in nostra dioecesi) abbas humiliter, quatenus sibi et conventui suo testimonium tam vitae quam functionum parochialium et curae animarum dare dignaremur. Nos itaque istae petitioni iure merito annuere volentes testamur, ea qua possumus bona fide de praenominato monasterio Windbergensi (spectato capite et membris simul vel separatim sumptis), quantum nobis constat, tum quoad vitam religiosam, tum quoad disciplinam canonicam nullam sinistram famam evulgari ¹²⁾, insuper curae animarum et functionibus parochialibus tam per vicarios unum vel alterum conventualem in incorporatis monasterio parochiis magis dissitis positum, quam per patres aliquot, qui in propinquas parochias ex monasterio mittuntur, strenue incumbi, eisdemque vicarios praemonstratenses, et pastoralis curae inservientes nobis omnem debitam reverentiam et obedientiam exhibere, seseque ut alii curati solent et tenentur, pontificiis et dioecesanis constitutionibus et consuetudinibus eius computus in omnibus et singulis conformiter gerere ex iuris rei fide.

12) Es liegen zwei Fassungen dieses Entwurfes vor. In der zweiten, definitiven (Text oben) ist von anderer Hand verschiedenes auskorrigiert; obige Stelle z. B. lautete ursprünglich: « ... quoad disciplinam canonicam illibatam omnino famam possideri ».